

cum ad ea spectent, quibus caro sarcitur. Coloss.  
2, 20. & seqq,

49. Quid? quod natura rerum adiaphorarum  
Cultus respectum penitus tollit. Neque enim  
cultus DEI unquam rei indifferentis & per se  
liberae naturam obtinet, neque vice versa, res  
libera ac indifferens, cultus DEI (quippe ab-  
solutè necessarius) per se ac immediatè esse ac  
dici vel potest, vel debet: quantumvis ea cultui  
divino, & cultoribus ipsis preparandis serviat  
& ancilletur.

50. Est enim longè aliud & distinctum ipse cul-  
tus DEI, qui sine ceremoniarum istarum obser-  
vatione nihilominus verè praestari potest: &  
aliud ac diversum. res ac Ceremonia externa,  
qua ad cultum illum peragendum forinsecus ac-  
cedit: ac proinde huic rei, illius nomen & ap-  
pellatio competere nullo modo potest.

51. Regnum DEI, inquit Apostolus, non est  
esca & potus. Rom. 14. 17. neque venit cum ob-  
servatione. Luc 17. 20. Sed est justitia, pax &  
gaudium Spiritus sancti.

52. Tertium vitium est Opinio meriti,  
quando nimirum statuitur, observatione isti-  
usmodi traditionum expiari peccata. acquiri  
justitiam coram DEO valentem.

53. Corrumphi imò penitus everri hac opinio-  
ne universam salutis & justitiae nostra doctrina-  
rum qua in sacris proponunt, per se satis est  
manife-